EFFECTU MEDICAMINUM IN CORPORIBUS SANIS, DUBIO VIRIUM MEDICAMENTOSARUM DEFINITOS AD MORBOS INDICE

PRAESIDE

CAROL. AVG. GVIL. BERENDS

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTOR. HVIVSQVE PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. CIVITAT. FRANCOF. ET CIRCVL. LEBVSIENS. PHYSIC. REG. NOSOCOM. CIVICI THILEN. MEDIC. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOSOR. NEC NON SOCIET. REG. SCIENTIAR. ET ART. FRANCOF. ADSCRIPTO ORD. MEDIC. H. T. DECANO

DOCTORIS MEDICINAE HONORES LEGITIME CAPESSITURUS

A. D. VI. MARTII MDCCCIX.

PUBLICE DISSERET

AUCTOR

NATHANAEL JOSEPHUS FUERST

VRATISLAVIENSIS SILESIUS.

FRANCOFURTI AD VIADRUM
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

EXPERIENTISSIMO

ATQUE EXCELLENTISSIMO

ISAACO JEREMIAE WARBURG

MEDICINAE DOCTORI FELICI ARTIS SALUTARIS INTER VRATISLAVIENSES USU INCLYTO NOSOCOMII JUDAICI MEDICO ORDINARIO SCHOLAE GUILIELMIANAE MODERATORI

FAUTORI

OMNI PIETATE COLENDO

ATQUE

VIRO

EXPERIENTISSIMO

ATQUE EXCELLENTISSIMO

MAURITIO HENRICO MENDEL

MEDICICINAE DOCTORI ARTIS OBSTETRICIAE IN SCHOLA OBSTETRICIA VRATISLAVIENSI PROFESSORI ADJUNCTO SOCIETATI MINERALOGICAE JENENSI ET NATURAE SCRUTATORUM VRATISLAVIENSI ADSCRIPTO

FAUTORI ET AMICO

NEC NON

VIRO

OPTIMO

ET HUMANISSIMO

FRID. GUILIEL. KUH

FAUTORI

ATQUE AMICO MAXIMOPERE

COLENDO

HAS

QUALESCUNQUE

STUDIORUM SUORUM

ACADEMICORUM PRIMITIAS

IN

VENERATIONIS GRATIQUE ANIMI

SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR

NATHANAEL JOSEPHUS FUERST

§. I.

Instituti rationem reddit.

Quanquam inde ab antiquisſimis temporibus ars ſalutaris certis et indubitatis caruit materiae medicae rationaliter exſtruendae principiis, atque his inveniendis et eruendis nullo fere non tempore doctisſimi ſtuduerunt medici; eos tamen hac in re operam ſuam fere fruſtra collocasſe, et fatendum et magnopere dolendum est. Quod vitium propter inaccesſam rerum naturam, a medica arte nunquam prorſus removendum, medicorum partim deſidia, partim præproperis, quas inierunt in dijudicanda medicamentorum virtute, rationibus mirifice auctum fuit. Quantum enim

enim majores præjudiciis inveteratis et coeca magiſtrorum aemulatione occupati medicamentorum inertium, ſuperſtitioſorum et anilium laude medicinae efficacitatem extenuarunt; tantum noſtra aetate incredibile novaturiendi ſtudium, malam ambitionem atque judicia præpropera perſpiciendis veris medicaminum virtutibus rectoque eorundem uſui examusſim cognoſcendo, in ſummum et univerſae rei medicae detrimentum et medicorum maxime juniorum *), quos demum magiſtros ſequantur incerta mente fluctuantium, toties haud reparabile damnum, vel quotidie novas odioſasque ſaepe remoras objicere, doctisſimus quisque, earum inprimis rerum, quæ hodie in medicina geruntur, vel aliquantisper gnarus ultro ſatebitur. Nempe medicorum paucisſimi omni opera eniſi ſunt, ut rationem et experientiam, almas illas omnium bonarum artium genitrices et altrices, ab artis medicæ in-

*) C. A. G. Berends. Hiſtor. vomitorior. pericul. Traject. ad Viadr. 1780 in praefat.

incunabilis inter ſe diviſas **), in gratiam reducerent. Potius, qui aut ingenio florebant, aut auctoritate maxime pollebant, contentionis ſerram inter ſe reciprocarunt: aliis totam rem medicam ad ratiuncularum ſubtilitatem ſexigentibus, dum contra alii ſolis experimentis medicorum operam contineri temere affirmabant.

Quæ medicorum discordia iis ſemper temporibus medicinam maxime oppreſſit et commaculavit, quibus ſapientiae ſtudium, ingeniorum aut vere magnorum afflatu, aut novaturientium pruritu ſubtilius excoli coepit. Siquidem viri, quos longus rerum uſus morborum lenimina et certa remedia docuit, peritia ſua quippe confidentiores, aegerrime ad novas ſententias amplexandas adducuntur. Quidni enim timerent, relicto ſecuro, in quem dudum ſese receperant portu, atque inſuper præteritorum ſaeculorum exemplis, quid

---

A, C. Celsus DeMedic. Praefat. ad I.

quid diſtent aera lupinis moniti, fragilem ſcientiae ſuae ratem periculoſo iterum committere pelago? Quæ quum noſtrorum temporum inprimis conditio sit, medicis veteranis vitio minime vertendum esſe cenſemus, si experientiae auctoritatem acriter tuentur; modo eo se non patiantur abduci, ut ſolis experimentis medici ſcientiam contineri putent.

Quod quidem HAHNEMANNO viro celeberrimo nuper accidisſe videtur, qui, refutato vetustisſimo ſcholae methodicae præcepto, jam a divo HIPPOCRATE repetendo *), contraria contrariis ſanari jubente, in contrariam etiam ſententiam progresſus est **), ita quidem, ut ſimilitudine ægritudinis ex morbo natae, ad effectum, illius aemulum, quem in ſano hominis corpore medicamentum aliquod exſerit, comparata omnem fere totius curae

mor:

*) Aphor. II. 17. 22.

**) Vid. apud HUFELANDUM *Journal der pract. A. K.* Tom. XXVI. B. 11. pag. 5. ſeqq. *Allgem. Anzeig. d. Deutſch. Decemb.* 1808. *p.* 3729.

morborum vim et menſuram contineri, diſerte profiteretur:

Tot vero tantisque argumentis et ſpecioſis et eximia rei medicae peritia munitis ſententiam ſuam vir illuſtris corroboravit, ut, dum modeſto examini eam ſubmittere, apud animum meum conſtituerim, haud immerito verear, ne auso viribus meis impari excidam.

Interim conatus meos nec ipſe vir illuſtris forſitan improbarit, contra quem si quid dixero, cum ea modeſtia dicam, quæ tanto viro debetur; nec alii idonei hujusce rei arbitri me in examinando excellentisſimi viri theoremate dicam, an paradoxo? otioſae disputationis facile poſtulaverint. Ita vero totam hanc causſam aggrediar, ut primo illuſtris HAHNEMANNI placita et praecepta ab ipſo ſparſim tradita *) paucis comprehenſa et ſibi invicem juncta, ſuccincte exponam; deinde vero quid demum veri falſive in his opinionibus inſit, breviter excutiam.

§. II.

*) in praefat. *ad fragmenta de virib. medicamentor. poſitivis.* Lipſiae 1806.

§. II.

Doctrinae HAHNEMANNIANAE *de usu medicaminum homoëopathico conſpectum exhibet.*

Longo quidem uſu edoctus, quod vel aliorum virorum attentionem dudum cepit, medicaminum eorumque heroicorum inprimis nonnulla, quibus in morbis haec vulgo ſalutaria ſese praeſtent, eosdem ſanis data concitare, vir celebris de univerſo pharmacorum apparatu primus omnium hoc generatim ſtatuere ſuscepit. *Medicamenta* ipſi audiunt, quaecunque vel exiguis praebiis ingeſta, ſecundam hominis valetudinem in adverſam et vicisſim hanc in illam transformare valent *). Ut autem auctoris hujus ex opinione, cuncta et ſingula remedia, quando aegris porriguntur, virtutes ſuas nequaquam rectas et ſinceras, ſed morbi ſymptomatibus mutatas exe-

*) Cf. praefat. ad l. cit. pag. 3.

exerunt: ita quoque curantis potisſimum ſcire interest, quid illa per ſe, nempe in ſano corpore efficiant atque ſic demum patere, ille existimat, quibusnam valetudinis adverſae generibus haec illave medicina ſeorſim conveniat. Hoc igitur respectu, pharmacorum vires abſolutas esſe et relativas, atque has quidem in aegrotantibus, illas modo in ſanis corporibus obſervari posſe, ſtatuit *).

Quamvis porro, addit, medicamenta ſimplicia vires, quas in corpus ſanum unumquodque habent ſibi proprias, neque earum cunctas in ſingulis hominibus, neque ſimul aut ſimili ubivis ordine et ſuccesſione edere ſoleant **): vim tamen pro qualitate ſua unam et eandem efficere, ut quam pharmacum aliquod largis hauſtibus ingeſtum addu-

*) in praefat. ad. l. c. p. 4.

**) in praef. ad. l. c. p. 5 et in ejusd. *Heilkunde der der Erfahrung. Berlin*, 1805.

adducere valeat valetudinis adverſae formam, contra eandem jam proſtantem exiguis praebiis ſumtum potentiae alterantis inſtar modoque in morbum concitandum prono. ſalutiferum ſeſe praeſtet *).

Idcirco aegritudinum ad curationes facile, cito et cum ſucceſſu conſtante perficiendas, artifici unam tantum patere viam eamque huic a natura ipſa tum in exploranda ſymptomatum cuilibet ſtatui morboſo propriorum relatione mutua, tum in quaerendis remediis morbo cuilibet ſanando aptisſimis monſtrari *); in his vero nunquam non pro optimo habendum illud, quod effectus poſitivi ratione habita, morbo urgenti ſimillimum repertum fuerit; ſeu in hominibus ſanis eadem, quibus alias compeſcendis aptum ſeſe praeſtiterit, producere valeat ſymptomata **). Medentes quoque, alibi affirmat, in

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 42.

**) ibid. pag. 7.

in opere ſuo artificioſa conjectura ſubtilique ratiocinatione tam parum indigere, ut potius ipſos diligente ſymptomatum contemplatione, tutisſimo medicinae ſeligendae indice acquieſcere oporteat *).

Obſervavit porro HAHNEMANNUS quod etiam nobis probatur, medicinam quamlibet alias vires ocyus edere, ſerius alias ideoque primarias et ſecundarias hasque illis utcunque esſe dispares, imo e diametro oppoſitas **). Atque, cum primi ordinis virtutes, quas ſolas ex auctoris opinione in medicina facienda medicorum ſcire interest, generatim univerſimque jam poſt moderata vel exigua pharmacorum praebia, ſecundi contra poſt illa aegrius aut perraro in conſpectum veniant ***): aegritudinum in curatione homoëopathica, neutiquam plenaria medicaminis

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 35.

**) in praefat. l. c. p. 5.

***) in praefat. l. c. p. 6.

nis adhibendi virtute morbifica, fed modo aliqua hujus parte, artificiosam in morbum persanandum proclivitatem afferente, opus esſe existimat *); atque quod omnium primus fuerit, qui ad hanc medendi rationem medicos attentos redderet, ſibi publice gratulari nullus dubitat **).

En! dogmata praecipua, quae ab experimentis in ſanis hominibus repetita, medelae homoeopathicae ſummam explicant.

At enimvero, quam parum haec tum inter se conveniant, tum cum rationalis diſciplinae fundamentis congruant. paucis oſtendere juvabit.

§. III.

Quae medicinae homoeopathicae basin atque ſundamentum constituunt, dogmata generatim dijudicat.

Quod ante omnia notari meretur, doctri-

*) apud Hufelandum p. 43.

**) apud Hufelandum p. 5. et 7.

ctrinae modo expoſitae auctor, audacter profesſus, medentem in opere ſuo neutiquam indigere accurata causſae morbum continentis exploratione, ſed quicquid hujus ad medelam inveniendam pertineat, nunquam non recta et luculenter ex proſtante valetudinis adverſae forma ilico patere: profecto haud fallaciorem diagnoſis atque indicationis fontem aemulis ſuis, etiamſi paucisſimis, monſtrare potuisſet ſymptomatum illo complexu et intuitu. Etenim inter omnes conſtat, valetudinis adverſae genus idem pro corporum afflictorum diverſitate, prodire posſe ex morbis natura et origine penitus diverſis, quemadmodum vice verſa morbi natura ſua neutiquam disſimiles ſaepe numero diverſas aegritudinum formas exprimunt.

Etenim egregie obſervante *) HIPPOCRATE, multivaria eſt morborum verſutia.

Quis igitur, quaeſo, ſolo ſymptomatum intuitu medelam rationalem auſpicato ſuperſtueret?

*) laudat apud HEBENSTREIT in Exeges. verbor. quae morb. definiunt, voc. νοσος

Neque porro nosſe ſufficit, quaenam valetudinis adverſae ſymptomata pharmacum hoc illudve ſanis inſerre ſoleat, ſed de eo maxime quæritur; cur et quomodo illa eveniant? — Contra medicinae homoeopathicae auctori, quantum ex omnibus elucet, medicaminum adhibendorum ſontes in qualitatibus occultis quaerendos esſe, perſuasum est.

Porro eam, quae illuſtri HAHNEMANNO placuit, medicamentorum definitionem, a nobis ſupra poſitam, quoniam ad unam tantum partem ſpectat, merito rejicimus..

Namque ex unanimi medicorum ſententia, cui pariter ſubſcribimus, quaecunque corporis organici ſorinſecus afficiendi ejusque ſtatus permutandi poteſtatem habent, rerum corporumque naturalium principia, verbi causſa, alimenta, aer, veſtimenta, aliaque illorum ſimilia, dum ſanae rationis praeceptis convenienter uſurpantur ad levanda aegrotantium incommoda, medicamentis annumeranda ſunt. Quibus

bus igitur cunctis si homoeopathice uti liceret atque haec medendi ratio aegris ſanitatem promitteret; utique fieri deberet, ut v. c. immodica ciborum crudorum ingurgitatio concoctionis perturbatae incommodis, domicilia humida aërisque frigidi perflatui majorem in modum expoſita passionibus arthriticis et rheumaticis, improvida pedum refrigeratio diarrhoeis auſpicato mederentur, quoniam in ſanis morbi ſimiles e noxis ſimilibus prodire ſolent.

Etſi vero ſingulorum medicamentorum virtutes per experimenta tantum noſſe liceret; ſana tamen ratio jubet atque dictitat, ut cujusſibet effectus cauſſam ſufficientem eamque talem ponamus, qualis probabilitatis laude minime nobis carere viſa fuerit.

Tantum vero abest, ut quam in explicandis medicaminum virtutibus rationem Hahnemannus ſecutus eſt, vel experimentis ſolis addicti collaudare poſſint, ut ne logicae

gicae quidem veritati celeberrimi viri opinio ſatis conformis videntur.

Quod ſi enim morborum ſanandorum remediorumque hisce reſpondentium in organismum effectus ex toto juxta aeſtimandus est, ſequitur, ut cujuslibet medicamenti homoeopathice adhibiti uſu etiam providisſimo, non posſit non augeri et intendi morbi gradus.. Quoties igitur acciderit, ut remedium aliquod morbo tali mederetur, qualem ab ejus uſu in ſanis oriri ſaepius viſum esſet; toties illud minime recta, ſed per ſecundarias potius virtutes ipſi proprias ſanationem effecisſe, ideoque iſti, *contraria contrariis curanda esſe* veterum axiomati, licet nuper, ab ingeniofisſimo Roeschlaubio *) rejecto et exploſo nobisque pariter displicenti, pericula clinica ſaltim magis reſpondere, quam Hahnemanni placito, utique concludendum esſet.

Atque

*) *Magazin zur Vervollkommung der Medizin. 7. Be. pag. 277. ſeqq.*

Atque, cum ad morbos abigendos modo exigua pharmacorum praebia requiri neque plénariae horum virtuti, ſed modo niſui morbiſico, ſeu majori, quam in aegris efficerent, in valetudinem adverſam proclivitati effectus ſalutaris quaeſiti cauſſam tribuendam esſe, medicinae homoeopathicae inventor afſirmet, tum experientiae tum rationi contradixisſe videtur.

Enimvero, quod neminem sane fugit, in ſummo morborum diverſorum vigore largisſimis perſaepe hauſtibus propinanda esſe medicamenta, in ſolam ſymptomatum qualitatem attentus, ſilentio praetermiſit.

Quid? quod, medicamenta ſingula ſanis data morbos eosdem producere, quibus medendis apta reperta fuerint, jure noſtro dubitamus. Praeterquam enim, quod experimentis ſuis tum in ſe, tum in aliis ſanis hominibus inſtitutis facile decipi auctor noſter potuerat, vel ſymptomatum morboſorum, quæ inde a medicamentis diverſis corpore bene

va-

valente ingeſtis, ſeſe vidisſe teſtatur, longisſimo in recenſu multa incredibilia ſibique invicem contraria nobis tradidit. Ita v. c. mediocrem Opii *) doſin ilico, poſtquam epota fuerat, diarrhoeam pultaceam, tusſim ſiccisſimam, caloris diminutionem, pulſum lentum, animi dijectionem et moroſitatem effecisſe, vix credibile est, aut rarisſimis tantum exemplis evenit.

Cum porro Hahnemannus pasſim ipſe loquatur de diverſis morbi ejusdem generibus, inſcius et invitus ſibimet contradicit, ſiquidem dubium et incertum manet, an non v. c. in alio prorſus hydropis, aſthmatis, maniae etc. genere, remedium aliquod ſalutare ſese praeſtet, quam cui producendo aptum creditur. Atque jure quidem noſtro opinionum tam inſolitarum praeconi id vitio vertere posſumus, quod in exemplis, quibus in doctrinae ſuae commendationem uſus eſt, ne-

*) de viribus medicamentorum poſitivis p. 201.

neque diverſas morborum ſimilium occaſiones, neque diatheſis univerſalis differentiam reſpexerit. Paucis ut dicam, ſi medicam artem humano generi ſalutarem redderet ſymptomatum remediorumque his reſpondentium notitia; tyrones in poſterum omni carere poterunt rationali disciplina, ea tantum contenti curta rerum ſupellectili, quae ad opificium medicum, (namque haec quidem dignitas artem noſtram maneret) expedite pertractandum ipſis maxime videbuntur necesſariae. Profecto! hanc in ſpem animos eorum, qui omni ingenio carentes, per ignaviam et illotis manibus, ad Aesculapii ſacra ſeſe perventuros cogitant, vir doctisſimus excitare minime voluit. Noluit certe tollere eam, quæ medicos rationales inter totumque incomtum agyrtarum et tonſorum genus, hucusque intercesſit differentiam! Noluit omnium bonarum artium rudi, auxiliorum in hoc illove caſu promptorum aliqua inſtructo notitia, ſymptomatum atrocisſimorum curationem temere committere!

Quod

Quod denique maxime attentione dignum est, ex illa doctrina utique ſequitur, ut omnis medicina ex morbo convalescentibus propinata non tantum non proſit, ſed quoque noceat; ſiquidem cum omnis medicamenti cujusquam in morbo hoc illove fructus ab ejusdem in ſanis producendi poteſtate pendeat, fieri non potest, quin ultra morbi jam ſanati ſpatium medicamenti ſpecifici uſus continuatus, nunquam non priſtinum valetudinis adverſae ſtatum revocet, ſeu quod idem eſt, ſimilia ſimilibus reproducantur. Utque hanc rem exemplo aliquo luculento illuſtrem, ex febre intermittente ad ſanitatem redituris Cinchonam amplius propinare, et ſupervacaneum et nocivum foret.

Sed haec hactenus de argumentis, quae dogma illud HAHNEMANNIANUM ſatis convellere mihi videntur quorumque numerum, si per anguſtos libelli inauguralis limites hoc fieri liceret, facile augere potuisſem.

Jam

Jam ad exempla me vertam, quibus ut coaevos posterosque de doctrinae suae veritate vel penitus convinceret, de aliis auctoribus depromptis usus est.

Ex his vero nonnulla tautum attingam, quæ a doctiore hujus doctrinae arbitro *) praetermissa reperi.

§. IV.

Exemplorum allegatorum, quibus HAHNEMANNUS *innisus est, vim probandi paucis examinat*

Igitur ut, quam parum opinionum commenta, quæ virum eruditionis et peritiae me-

*) *Salzburger med. Zeitung vom M. May* 1808.

medicae laude ceteroquin dignissimum publici juris fecisse, utique miramur, arti salutari subtilius excolendae inserviant, satius ostendatur, argumentorum quoque empiricorum, quibus ille usus est, saltim nonnullorum pondus et valorem rationaliter aestumemus, necesse est.

Quodsi primum auctor noster *) contendit, celebrem DIEMERBROEKIUM, sub morborum epidemicorum curatione saepius vertigine, nausea et anxietate correptum, horum incommodorum ex *herbæ Nicotianae* fumo per calamum hausto non aliam ob caussam levamen percipere potuisse, nisi quod hoc remedium teste MURRAYO eadem symptomata per se inferre soleat: utique non secum reputavit, memoratum istius plantae narcoticæ usum diaeteticum, modo corporibus assuetis commoda laudata promittere, in aliis contra contrarios edere effectus. Namque

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 8.

que adeo hi, qui fumi illius ſtimulum in ſummis deliciis habent, ab eodem, ſimulatque qualemcunque ob cauſam ſtomachus aegrotare cœperit, ſua ſponte et veluti inſtinctu moniti abſtinere neque calamum dilectum prius repetere ſolent, quam valetudo bona paululum inſtaurari cœpit.

Si porro ratio, ob quam *oleum diſtillatum anisi* torminibus medicamentorum purgantium effectibus medeatur, in contraria ejusdem remedii in colicam ſanis inferendam proclivitate quaeri debet *); utique notari meretur, hac mala virtute omnia et ſingula olea aetherea hauſtibus nimis largis propinata inſigniri. Ita nuper ipſe juvenum tres, quorum quilibet ſpiritus juniperi officinalis ejusque, ut nemo neſcit, particulis aethereis et reſinoſis bene multis abundantis unciam circiter unam ingesſerat, per aliquot horarum ſpatium dolore colico male haberi vidi.

Ex eadem quoque cauſſa qualecunque oleum aethereum, niſi cum ſaccharo, vitello ovo-

*) apud Hufeland. l. c. p. 9.

ovorum aut mucilagine gummi Mimofæ nuptum ufui interno dare convenit.

Achilleam millefolium fanguinis profluviis et mederi et eadem in fanis ciere posfe *), nemo quidem in dubium vocabit.. At qui factum fit, ut vir experientiæ longæ fuae ipfe maximus laudator **), hanc plantam, ab omnibus medicinæ rationalis cultoribus modo in haemorrhagiis fpafticis et pasfivis commendari falutaresque ejusdem effectus non tam a qualitatibus occultis, quam ab infigni potius, quæ ipfi ineft, incitante et roborante virtute repetendos esfe, ignorare potuerit, utique miramur.

Itemque *Barytam muriaticam*, ab HUFELANDO ***), PETERMANNO ****), KLOSIO *)

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 9 et 10.

**) apud HUFELANDUM l. c. p. 6.

***) *Erfahrungen über die Kräfte u. den Gebrauch der salzsauren Schwererde. Erfurt* 1792.

****) Disfert. inaug. de terr. ponderofa falit Jen. 1793.

sio *), aliisque viris clarisſimis ad ſcrofuloſos glandularum tumores et diverſa exanthematum chronicorum genera ſummopere laudatam, easdem morborum formas in ſanis corporibus ingeſtum generare posſe **), libenbenter concedimus. Verum enim vero in effectus pro disſimili valetudinis ſtatu aeque disſimilis rationem ſubtilius inquiſituri, facile intelligemus, pharmaci modo laudati virtutem ſalutarem quam maxime revocari debere ad augendam vis vitalis energiam in vaſis glandulisque lymphaticis justo minus actuoſam ideoque ſieri aliter non posſe, quin ſanis aut ſaltim ejusmodi corporibus ingeſtum, in quibus quoad mutuum ſyſtematis lymphatici aliarumque partium aequilibrium nihil contra naturam offenditur, contrarios effectus inferat.

Quisne

---

*) *Bemerk. über die Wirksamkeit der salzsauren Schwererde.*

**) apud Hufeland l. c. p. 13.

Quisne porro miretur, auctorem noſtrum, dum commemorat, DETHARDINGIUM *) *Sennae* folia in morbo colico ſalutaria reperisſe ipſumque autumasſe, hujus virtutis causſam a propria huic remedio ad colicos dolores ſanis inferendos proclivitate repetendam esſe, commentorum ſuorum præſtantia ita occæcari, ut exclamet, *tam prope vir ille a veritate magna abſuit*!

Profecto nonniſi caſu et fortuito accidit, ut remedium idem aliam in aliis corporibus virtutem oſtenderet.

Quantum enim omnes norunt, quoties *sennæ* uſus inteſtina excruciat, modo ob reſinoſas, quibus haec folia abundant, partes hoc evenire ſolet.

Cui tamen anteverti poteſt incommodo, ſimulatque neque in pulverem redacta, neque decoctionis ſub forma, ſed modo infuſio-

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 15.

ſionis aquoſae miniſterio uſui interno adhibentur folia. Ceterum quoque *Sennam*, si quando hujus uſus in colico dolore ſalutarem ſese præſtiterit, modo ob cruditates, fortuitas morborum occaſiones, ſalutarem ſese præſtitisſe, multis commemorare non opus est.

Maxime vero in eo latus adverſariis praebuisſe videtur vir clarisſimus, quod placiti ſemel poſiti in favorem, quæcunque ALLAMANNUS *), WILKINSONUS **), HARTMANNUS ***), MANDUYTUS ****), DI-

*) Cf. Hiſt. de l'acad. royale de ſciences a Paris. ann. 1753.

**) The case of mſtr. Winder, wo was cured of a paralyſis by a flash of lightning.

***) *Angewandte Electrizität b. Krankh. des menschl. Körpers. Hannover* 1770: *p.* 95. 99. 260.

****) Cf. HELD *Auszüge aus den beſten franzöſch. Schriften T. IV. p. p.* 171-176.

Dickinsonus *), Manginus **) Haenius ***) aliique inclyti auctores retulerunt morborum paralyticorum electricitatis ministerio feliciter sanatorum exempla, ob indirectas seu debilitantes hujusce remedii virtutes accidisse sibi persuadet, atque vicissim, dum Fontanam apoplexiæ fulminis ictu concitatæ per exiguas commotiones electricas medicatum esse refert, asserti prioris immemor ultro consitetur, electricitatis vim primariam quandoque tollere posse secundariae injurias. En! quantum ex alia contradictione in aliam inciderit auctor peritissimus. —

Deinde, quod salutarem *Dulcamarae* virtutem homoeopathicam in tussi, leucorrhoea et exanthematibus herpeticis attinet

*) Gentlem Magazine. Sept. 1753.

**) Histoire générale etc. T III. p. 11.

***) rat. med. Tom. II. p, 4.

net *), fimili jure contendere posfem, BOECKLERUM **) hujus plantæ ufum ad aperiendas obftructas menfium vias modo ideo laudabilem reperire potuisfe, quoniam CARRERE ***) ex ejusdem decoctione largiter ingefta haud raro menftruum fluxum diminutum aut retardatum vidit. Fac autem, hanc plantam, tefte KUEHNIO ****) pariter et contra haemorrhagias utiliter adhiberi, in enucleanda alterutrius asferti veritate neutiquam hæfitaturum putamus eum, qui eidem pro corpo-

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 26.

**) in PAULI HERRMANNI cynofura mat. med. continuata. p. 492.

***) Memoires fur les vertus, l'usage et les effets de la Douce-amère. Par. 80.

****) Disf. folanum Dulcamaram non esfe exauctorandum. Traj. ad. Vidar. 79. p. 28.

porum aegrotantium diverſitate, modo has, modo illas tribuat virtutes.

Inprimis parum probabilis eſt illa de ſalubri *Hydrargyri* usu in melancholia cum ſalivatione nupta ſententia, ſyalagoga hujusce metalli virtute ſuperſtructa *). Utut enim, melancholiam ſanaverit Hydrargyrum, negari tamen nequit, diatheſis melancholicae causſam ſæpenumero quaerendam esſe in peculiari quodam viſcerum abdominalium, inprimis hepatis morbo, cui ſanando præ ceteris remediis aptum ſese praeſtat *Hydrargyrum.*

Quantopere pasſim auctor noſter empiricis prædilectæ ſuæ opinionis argumentis confiſus fuerit, praeprimis eo, quod ab *aqua roſarum* deſumtum eſt, exemplo evincitur *). Etenim ut celebratam hujusce indif-

*) apud Hufelandum l. c. p. 25.

apud Hufelandum l. c. p. 24.

differentis medicinæ virtutem antiophthalmiticam mere fictitiam cenſent peritiores harum rerum arbitri: ita, qnoque, quod ſanis oculis admota, proclivitatem ad inflammationem concipiendam inferat, vera experientia atque idoneis teſtibus nunquam demonſtrari poterit.

Atque, ſi omnium ſingulorumque remediorum virtutes ad hanc unam homoëopathicam revocare liceret, utique permulta exempla commemoratis ſimilia ad corroborandam opinionem tam precariam proferri posſent. Ita quidem *nux vomica*, teste SEUTTERO *) MATTHIOLO **) et CONSBRUCHIO ***) ſanis hominibus aut aegris perperam data convulſiones enormes gignere dicitur.

En! ex HAHNEMANNI opinione ſufficientem hujus medicinæ ex aliorum virorum te-

*) Diſſ. de nuce vomica §. 11.

**) Comment in DIOSCORID, L. IV. c. 23.

***) apud HUFELANDUM in Journal der practischen A. K. Vol. IV. p. 443. ſeqq.

teſtimoniis *) in epilepſia ſalutiferae cauſſam. Si vero nobiscum reputamus, terribilem hunc morbum convulſivum ſaepenumero a vermibus inteſtinalibus ortum ducere atque hinc factum esſe, ut clarisſimus Gebauer *) filium ſuum epilepticum nucis vomicae miniſterio feliciter ſanaret, tota hoc in exemplo cesſat ſanationis homoeopathicae præſumtio. Simili modo accidisſe videtur, ut Taberhaemontanus **) Harmeus ***) et Weineck ****) eandem medicinam in cardialgia et colica prae aliis efficacem reperirent.

Quisne demum miretur, Hahnemannum *****), dum antiſebrilem *Cinchonae* virtutem a cardialgia, vomitu et diarrhoea ab

*) Cf. Jon. Sidren in act. Suec. med. T. I. p. 367 et Schulze mater. med. p. 404.

**) Kräuterbuch ex edit. Th. Bauhini. III. p. 650.

***) Disſ. de med. Lapponum in collect. Halleri T. VI. p. 713.

****) Cf. Nicolai Rezepte u. Kurarten. p. 1126.

*****) apud Hufelandum l. c. p. 40. ſeqq.

ab ejus usu in valetudine fecunda oriundis repetit, vanam prorſus atque incredibilem opinionem certis et exploratis veluti conſulto et cogitato prætulisſe? Etenim nemo neſcit, illaudabiles illius effectus neutiquam cortici ipſi, etiamſi ſanis dato, ſed potius inſigni ventriculi debilitati, quae vel illius uſum in febribus intermittentibus reſpuat, tribuendos esſe. —

Haud ſecus ea, quæ de *rheo* ob vim purgantem ſuam ad ventris profluvia laudando, medicinae homoeopathicae inventor disputavit *), eatenus veritati tantum reſpondent, quatenus notisſima haec medicina modo praebiis majoribus ingeſta et pro ſecundaria ipſius virtute ventrem ſolvit, modice vero ſumta ideoque intra virtutem primariam ſubſiſtens, ſtimuli tonici partes explet.

Sed haec ſufficiant de vanitate exemplorum, quibus in ampliorem doctrinae ſuae commentationem HAHNEMANNUS uſus est. Addam tamen nonnulla de hujus doctrinae

ſemel

*) apud HUFELANDUM l. c. p. 33.

ſemel pro vera admisſae conſectariis, ex mea quidem opinione non minus necesſariis; quam prorſus, ut ne quid acerbius dicam, quotidianæ experientiae contrariis et a communi omnium peritorum virorum intelligentia ſenſuque disjunctis.

§. V.

Opinionis Hahnemannianae *conſectaria nonnulla*

Fac enim, medicamenta ad ſanum corpus relata omnibus reliquis morbiſicis potentiis atque has vicisſim illis aequiparandas esſe, Cinchonam vero valetudinis adverſæ formam ejusmodi potisſimum influxu tollere; qui morbo in ſanis producendo maxime faveat, ex ſpecioſa illa enunciatione tanquam vero axiomate concesſa utique ſequitur; ut v. c. lui ſyphiliticae, coitus impuri aliquis modus, ſcorbuto hydrargyrum, colicae ex Saturno parata pharmaca, morbis ab Arſenico ingeſto natis iterata hujus veneni praebia, exanthematibus longis ſqualor et immunditiæs atque recidivis ſebrium intermittentium inſultibus purgantia remedia omnium optime ſint opitulatura.

De-

Cum porro ex illo axiomate ſemel admiſſo, de medicamenti alicujus praeſtantia ad perſanandum definitum morbum, ad ejusdem remedii vim eundem morbum ſano homini inferendi, conſequentia valere debeat: utique licebit legitima colligere argumentatione, Cinchona in convaleſcentibus ex febre intermittente novas morbi jam fugati accesſiones, cochlearia, cortice Winterano Peruvianoque diatheſin ſcorbuticam, victu exquiſito atque ad praecepta diaetetica adornato malam concoctionem ſemper et ubivis adduci. Imo adeo, cum unum idemque remedium ex auctoris noſtri ſententia diverſis morborum generibus ſanandis aptum ſit, timendum ſemper eſt, ne Belladonna, dum amauroſi medeatur, deliria ferocia, hydrargyrum contra affectiones hydrocephalicas atque tot alias, in quibus utilisſimum ſe praeſtitit, tum acutas tum diuturnas adhibitum, ſyphilidis ſymptomata, verbo ut dicam, unumquodque medicamentum morbum alterum pariat, dum alterius ſanandi causſa praeſcriptum fuerit.

Denique, cum privis valetudinis adverſae generibus priva convenire dicantur medicamenta homoeopathica, quaecunque vero hucusque in lucem prodierunt de re medicamentaria commentationes, eminentiores tantum easque abunde cognitas medicamentorum virtutes in aegris commemorent; ut proclivitatis morbificae, quae in quolibet medicamento ineſſe debet ſingularis et propria, certiores fiant medici, hi quidem reconditas illas medicamentorum vires aut periculis in ſanis hominibus inſtitutis, aut fortuitis obſervationibus addiscant, neceſſe est. Cum vero experimenta per morbos mortesque agere, nemini liceat, obſervationum autem, quas caſus offert, et rara occasio et dubia fides ſit: tutius et ſecurius profecto videtur, illa medendi ratione homoeopathica ſuperſedere, donec aut celebris ejus autor ipſe aut ejus asſeclae ingente vi exemplorum, totam rem medicamentariam ad hunc novum Hahnemanni lapidem Lydium revocaverint. Felices profecto et vel divo Hippocrate ſapientiores! ſi eo pervenerint, ut in experimentis nullum inſit periculum, in judicio nil temeritatis.

VIRO DOCTISSIMO
Honorum Doctoralium Candidato Perquam Eximio
S. P. D.

P r a e s e s.

Medendi leges curationum exemplis deductas, quoniam rerum ufus non nifi ea deprehendit, quæ fingularum rerum propria funt, ad perfectæ et legitimæ fcientiæ rationes exigere, nemini facile in mentem venerit, nifi logicæ difciplinæ ignarisfimo. Idemque miretur, contraria adeo atque fibi invicem oppofita, edicere experientiam! Omni a fenfuum confuetudine longisfime remotæ funt, fummæ rerum notiones, unica illa legitimæ fcientiæ principia. Ad hæc quidem, ut, quoad ejus fieri posfit, artem medicam informent, totis viribus ejus profesfores enitantur, ita tamen, ut debito experientiæ honori nihil quidquam detrahant.

Tu vero doctisfime Commilito, quam impigro conatu in rationalis medici fcientiam contenderis, vel hæc academica Tua com-

mentatio docet, in qua et doctrinam probo et peritisſimum erga virum modestiam laudo, cujus vix aliquoties Te deprehendi immemorem. Profecto! si præter unum aureum illum de arſenico libellum, HAHNEMANNUS literis nihil tradidisſet, de arte medica hominumque ſalute immortaliter meruisſet.

Nec minus nativo Tuo pudori modeſtiæque tribuerim, quod in publica libelli Tui cenſura, quem Tuum prorſus esſe palam profiteor, Tibi me rogares adjutorem. Adero libenter Tibi, publice declaraturus, quanti doctum discipulum faciam, animi etiam honeſtate et morum ſuavitate majorem in modum commendabilem. Vale.

Dab. e muſeo d. IV. Martii MDCCCIX.